

*Non sola
metalla tra-
ctat Chy-
mia.*

vegetantia quidem, Plantas, Frutices, Arbores: animalia verò, Aquatilia, Reptilia, Volatilia: eorumq; partes diuersas. Ergo non solis metallis dat operam Chymia: quod multi hucusque perperam crediderunt. Et ipsa pernouit inter lupinos & erua facere discrimen, quæq; rerum creatarum sunt alia, metallorum virtuti, quantumuis eximiæ, merito iure quandoq; anteferre. Eandem nimirum materiam, quam Galenus de simplicium facultatibus, sexto in primis libro: tum & alij, sequaces eius & successores, sibi cõstituit: in eo tantum diuersa, quod metalla, saxa, subterraneos succos frequentius vsurpet, nec reformidet, quorum pernities in vulgus cognita, metum incutit hominibus, sine ratione per sæpè, ad ambigua quantumuis pericula expauescētibus: e quorum numero hydrargyrum est, stibiũ, calcãthum, & si quæ huius generis sunt alia: quæ cum singula putetur, noxia quadã proprietate, humanis viribus hostiliter cõminari, e remediorum materiali quoq; catalogo remouenda fuerint. Id quia non agunt Chymici, temeritatis notam incur-

incur-